

24TH LATIN SUMMER SCHOOL

15th-19th JANUARY 2018

New Law Building, University of Sydney

LEVEL 2B

Instructor:

Alexander Westenberg



Monday

Lucius Annaeus Seneca (Seneca the Younger), *De Vita Beata*, Chapter I

Seneca was a Roman Stoic philosopher of the first century AD, and tutor (and later advisor) to the emperor Nero. When he felt he could no longer remain in politics and maintain his integrity, he retired and devoted his life to writing works of philosophy and a series of plays. This is the first chapter of a very short work I which he discusses the Stoic view of the happy life.

[capitulum I]

(1)

vivere, Gallio frater, omnes beate volunt, sed ad pervidendum, quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant; adeoque non est facile consequi beatam vitam, ut eo quisque ab ea longius recedat, quo ad illam concitatius fertur, si via lapsus est; quae ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris intervalli causa fit. proponendum est itaque primum, quid sit, quod adpetamus; tunc circumspiciendum, qua contendere illo celerrime possimus intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, quantum cotidie profligetur quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis inpellit.

(2)

quam diu quidem passim vagamur non duces secuti, sed fremitum et clamorem dissonum in diversa vocantium, conteretur vita inter errores, breves etiam, si dies noctesque bonae menti laboremus. decernatur itaque, et quo tendamus et qua, non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quae procedimus, quoniam quidem non eadem hic quae in ceteris peregrinationibus condicio est: in illis comprehensus aliquis limes et interrogati incolae non patiuntur errare, at hic tritissima quaeque via et celeberrima maxime decipit.

(3)

nihil ergo magis praestandum est quam, ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem pergentes non, quo eundem est, sed quo itur. atqui nulla res nos maioribus malis implicat quam, quod ad rumorem componimur optima rati ea, quae magno adsensu recepta sunt, quodque exempla <nobis pro> bonis multa sunt nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus.

(4)

inde ista tanta coacervatio aliorum super alios ruentium. quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit - nemo ita cadit, ut non et alium in se adtrahat, primique exitio sequentibus sunt -, hoc in omni vita accidere videas licet. nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris et causa et auctor est; nocet enim adplicari antecedentibus et, dum unusquisque mavult credere quam iudicare, numquam de vita iudicatur, semper creditur, versatque nos et praecipitat traditus per manus error. alienis perimus exemplis: sanabimur, <si> separemur modo a coetu.

(5)

nunc vero stat contra rationem defensor mali sui populus. itaque id evenit quod in comitiis, in quibus eos factos esse praetores idem, qui fecere, mirantur, cum se mobilis favor circumegit: eadem probamus, eadem reprehendimus; hic exitus est omnis iudicii, in quo secundum plures datur.

Tuesday

Marcus Valerius Martialis (Martial), *Epigrammaton Libri*

Martial (born between 38 and 41 AD and died between 102 and 104 AD) was a Roman poet from the Iberian peninsula (modern-day Spain and Portugal). He was best known for a series of twelve books of epigrams, a collection of short, witty, often satirical and bitter poems mocking Roman life and practice. As this first couplet indicates, he was not above personal jibes.

XII; LXXXVIII

Tongilianus habet nasum: scio, non nego. Sed iam

Nil praeter nasum Tongilianus habet.

I; XXVIII

Hesterno fetere mero qui credit Acerram,

fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

I;I

Hic est quem legis ille, quem requiris,

toto notus in orbe Martialis

argutis epigrammaton libellis:

cui, lector studiose, quod dedisti

uiuenti decus atque sentienti, 5

rari post cineres habent poetae.

II; XXXVIII

Quid mihi reddat ager quaeris, Line, Nomentanus?

Hoc mihi reddit ager: te, Line, non uideo.

V; LVIII

Cras te uicturum, cras dicis, Postume, semper:

dic mihi, cras istud, Postume, quando uenit?

Quam longe cras istud! ubi est? aut unde petendum?

Numquid apud Parthos Armeniosque latet?

Iam cras istud habet Priami uel Nestoris annos. 5

Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?

Cras uiues? Hodie iam uiuere, Postume, serum est:

ille sapit quisquis, Postume, uixit heri.

X; XLVII

Vitam quae faciant beatiorem,

Iucundissime Martialis, haec sunt:

Res non parta labore, sed relictas;

Non ingratus ager, focus perennis;

Lis numquam, toga rara, mens quieta; 5

Vires ingenuae, salubre corpus;

Prudens simplicitas, pares amici;

Convictus facilis, sine arte mensa;

Nox non ebria, sed soluta curis;

Non tristis torus, et tamen pudicus; 10

Somnus, qui faciat breues tenebras:

Quod sis, esse uelis nihilque malis;

Summum nec metuas diem nec optes.

I; XLVII

Nuper erat medicus, nunc est uispillo Diaulus:

quod uispillo facit, fecerat et medicus.

Apocryphal Letters Between Seneca & St Paul

There are a number of Stoic ideas in the writings of St. Paul, which gave rise to the belief that he and Seneca were friends and correspondents. A series of letters attributed to the two appeared in the third century, of which these are the first two. All the letters are short and reasonably informal, which makes them a great introduction to more casual or personal Latin..

Seneca Paulo salutem.

Credo tibi, Paule, nunciatum esse, quod heri [de te] cum Lucilio nostro de apocryphis et aliis rebus sermonem habuerimus. Erant enim quidam disciplinarum tuarum comites mecum nam in hortos Sallustianos secesseramus, quo loco occasione nostra alio tendentes hi, de quibus dixi, visis nobis adiuncti sunt. Certe quod tui praesentiam optavimus, et hoc scias volo; libello tuo lecto, id est de plurimis aliquas litteras quas ad aliquam civitatem seu caput provinciae direxisti, mira exhortatione vitam moralem continentes, usque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos sed per te, certe aliquando ex te et per te. Tanta enim maiestas earum est rerum tantaque generositate calens, ut vix suffecturas putem aetates hominum, quibus institui perficique possint. Bene te valere, frater, cupio.

Senecae Paulus salutem.

Litteras tuas hilaris heri accepi, ad quas rescribere statim potui, si praesentiam iuvenis, quem ad te eram missurus habuissem. Scis enim, quando et per quem et quo tempore et cui quid dari committique debeat. Rogo ergo, non putes [te] neglectum, dum personae qualitatem respicio. Sed quod litteris meis vos bene acceptos alicubi scribis, felicem me arbitror tanti viri iudicio. Neque enim hoc diceres, censor, sophista, magister tanti principis et iam omnium, nisi quia vere dicis. Opto te diu bene valere.

Wednesday

John Victor Luce, Public Orator, Neil Armstrong

There is a long tradition at Oxford University, Cambridge University, and Trinity College, Dublin of having a Public Orator, whose role is to give orations in Latin on the occasion of the awarding of honorary degrees. The following speech was delivered at Trinity College, Dublin, on the occasion of the awarding of an Honorary Doctorate in Science to Neil Armstrong in 1976.

DOCTOR IN SCIENTIIS

Luciani auctoris antiquissimi exemplum secuti, nonnulli scriptores de itinere ad lunam modis mirificis confecto somniaverunt, sed res vero gestae quas nostro saeculo vidimus historiis omnibus commenticiis mirabiliores exstant. Sextus decimus hic annus ex quo Johannes ille Kennedy, Americanorum Praeses, ad conatum omnium consensu difficillimum cives suos incitavit. Talis autem erat in hunc laborem assiduitas, talis architectorum sollertia, tale fabricatorum artificium, ut intra paucos annos vehiculum idoneum arte vere Daedalea aedificatum sit. Cuius ad gubernationem non defuit genus heroicum astronautarum (ut nominantur), viri scientiarum periti, disciplina admodum inusitata exercitati. E qua cohorte iam adstat vir fama per totum orbem celeberrimus, NEIL ALDEN ARMSTRONG, dux illius navis Apollinaris, quae, velut Argo altera, per intermundia inhospitalia erat transitura ad oras non antea pede humano lustratas. Memoria tenemus navigium aereum celso apice ad caelum erectum, meminimus igneam vim flammaram qua sursum in orbitam prius constitutam propulsum est, ante omnia recordamur gubernatorum aequanimitatem atque fortitudinem. Quis nescit hunc virum, dum primus omnium in campos Lunae pulverulentos pedem profert, vocem hanc memorabilem emisisse: ‘Hoc meo passu parvo genus humanum ad astra erigitur’? Ad inceptum tantae molis peragendum opus erat auxilio duorum

comitum nec non complurium domi adiuvantium. Sed ne obliviscamur illum ipsum onus imperatorium summo consilio summa auctoritate sustinuisse.

Graduatus in scientiis, iam apud Cincinnatianos in arte ingeniaria aerospaciali (ut dicitur) Professor, dignissimus est qui inter doctores nostros honoris causa numeretur. Praesento vobis regionum caelestium exploratorem egregium, qui, more Americano, limites non modo patriae sed mundi extendit. Vos rogo eum fervore maximo plaudentes in caelum rursus efferatis.

Lucius Apuleius Madaurensis, Florida

Apuleius (124-170 AD) was a prose writer, Platonist philosopher and rhetorian. He was a Numidian from Madauros (now M'Daourouch, Algeria). He studied Platonism in Athens, travelled to Italy, Asia Minor, and Egypt, and was an initiate in several cults or mysteries. The most famous incident in his life was when he was accused of using magic to gain the attentions (and fortune) of a wealthy widow. He declaimed and then distributed a witty tour de force in his own defense before the proconsul and a court of magistrates convened in Sabratha, near ancient Tripoli, Libya. This is known as the Apologia. The following excerpt is from an incomplete collection of parts of his speeches which were thought particularly worthy of note.

II. At non itidem maior meus Socrates, qui cum decorum adolescentem et diutule tacentem conspicatus foret, "ut te videam", inquit, "aliquid et loquere." Scilicet Socrates tacentem hominem non videbat; etenim arbitrabatur homines non oculorum, sed mentis acie et animi obtutu considerandos. Nec ista re cum Plautino milite congruebat, qui ita ait: Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem. Immo enimvero hunc versum ille ad examinandos homines converterat: Pluris est auritus testis unus quam oculati decem. Ceterum si magis pollerent oculorum quam animi iudicia, profecto de sapientia foret aquilae concedendum. Homines enim neque longule dissita neque proxume adsita possumus cernere, verum omnes quodam modo caecutimus: ac si ad oculos et obtutum istum terrenum redigas et hebetem, profecto verissime poeta egregius dixit velut nebulam nobis ob oculos offusam nec cernere nos nisi intra lapidis iactum valere. Aquila enimvero cum se nubium tenus altissime sublimavit evecta alis totum istud spatium, qua pluitur et ninguitur, ultra quod cacumen nec fulmini nec fulguri locus est, in ipso, ut ita dixerim, solo aetheris et fastigio hiemis cum igitur eo sese aquila extulit, nutu clementi laevorsum vel dextrorsum tanta mole

corporis labitur, velificatas alas quo libuit advertens modico caudae
gubernaculo, inde cuncta despiciens ibidem pinnarum eminens indefessa
remigia ac paulisper cunctabundo volatu paene eodem loco pendula,
circumtuetur et quaerit, quorsus potissimum in praedam superne sese ruat
fulminis vicem; de caelo improvisa, simul campis pecua, simul montibus feras,
simul homines urbibus uno obtutu sub eodem impetu cernens, unde rostro
transfodiat, unde unguibus inuncet vel agnum incuriosum vel leporem
meticulosum vel quodcumque esui animatum vel laniatui fors obtulit .

Thursday

Cornelius Nepos, *Life of Hamilcar*

Nepos (c. 110-25 BC) was a Roman historian, born near Verona in Gaul (roughly modern-day France). He was a good friend of the famous Roman poet Catullus, who dedicated his poems to Nepos (along with Cicero and Atticus). Almost all his works are lost, but we have a collection of 'Lives' in which he gives the histories of a number of great men from history. This piece is on the famous Carthaginian general, Hamilcar, father of Hannibal.

(1) Hamilcar, Hannibalis filius, cognomine Barca, Carthaginiensis, primo Poenico bello, sed temporibus extremis, admodum adulescentulus in Sicilia praeesse coepit exercitui. (2) cum ante eius adventum et mari et terra male res gererentur Carthaginiensium, ipse ubi affuit, numquam hosti cessit neque locum nocendi dedit, saepeque e contrario occasione data lacessivit semperque superior discessit. quo facto, cum paene omnia in Sicilia Poeni amisissent, ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur. (3) interim Carthaginienses classe apud insulas Aegatis a C. Lutatio, consule Romanorum, superati statuerunt belli facere finem eamque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. ille etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviundum putavit, quod patriam exhaustam sumptibus diutius calamitates belli ferre non posse intellegebat, (4) sed ita ut statim mente agitaret, si paulum modo res essent reffectae, bellum renovare Romanosque armis persequi, donecum aut virtute vicissent aut victi manus dedissent. (5) hoc consilio pacem conciliavit. in quo tanta fuit ferocia, cum Catulus negaret bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerunt, armis relictis Sicilia decederent, ut succumbente patria ipse periturum se potius dixerit, quam cum tanto flagitio domum rediret: non enim suae esse virtutis arma a patria accepta adversus hostis adversariis tradere. huius pertinaciae cessit Catulus.

2

(1) At ille ut Carthaginem venit, multo aliter ac sperarat rem publicam se habentem cognovit. namque diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum, ut numquam pari periculo fuerit Carthago nisi cum deleta est. (2) primo

mercennarii milites qui<bus usi> adversus Romanos fuerant desciverunt, quorum numerus erat viginti milium. hi totam abalienarunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnarunt. (3) quibus malis adeo sunt Poeni perterriti, ut etiam auxilia ab Romanis petierint; eaque impetrarint. sed extremo, cum prope iam ad desperationem pervenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. (4) is non solum hostis a muris Carthaginis removit, cum amplius centum milia facta essent armatorum, sed etiam eo compulit, ut locorum angustiis clausi plures fame quam ferro interirent. omnia oppida abalienata, in his Uticam atque Hipponem, valentissima totius Africae, restituit patriae. (5) neque eo fuit contentus, sed etiam finis imperi propagavit, tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse.

3

(1) Rebus his ex sententia peractis fidenti animo atque infesto Romanis, quo facilius causam bellandi reperiret, effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eoque secum duxit filium Hannibalem annorum novem. (2) erat praeterea cum eo adulescens illustris, formosus, Hasdrubal, quem nonnulli diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare loquebantur: non enim maledici tanto viro deesse poterant. quo factum est, ut a praefecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse. huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quod moribus eorum non poterat interdici socero genero. (3) de hoc ideo mentionem fecimus, quod Hamilcare occiso ille exercitui praefuit resque magnas gessit, et princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginiensium eiusdemque post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium.

4

(1) At Hamilcar, posteaquam mare transiit in Hispaniamque venit, magnas res secunda gessit fortuna: maximas bellicosissimasque gentes subegit, equis, armis, viris, pecunia totam locupletavit Africam. (2) hic cum in Italiam bellum

inferre meditaretur, nono anno postquam in Hispaniam venerat, in proelio pugnans adversus Vettones occisus est. (3) huius perpetuum odium erga Romanos maxime concitasse, videtur secundum bellum Poenicum. namque Hannibal, filius eius, assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut interire quam Romanos non experiri mallet.

Friday

Ioanna Rowlinga (J. K. Rowling), *Harrius Potter et Philosophi Lapis*

J. K. Rowling received a Bachelor of Arts in French and the Classics, which led her to make a good number of references to Latin and Greek in her works (e.g. Professor Lupin is so named because he is a werewolf, and the Latin word for ‘wolf’ is lupus). This excerpt is taken from the climax of the first book of the Harry Potter series. The work was translated into Latin by Peter Needham, who taught Latin and Greek at Eton for over 30 years, and has previously translated the Paddington Bear books into Latin also.

‘NUNQUAM!’

Harrius ad ianuam flammeam saliit, sed Voldemort clamavit, ‘ARRIPPE EUM!’ et, post secundum, Harrius sensit manum Quirrellis carpum prehendentem. Statim, dolor acutus sicut ignis cicatricem Harrii transcurrit; sensit caput iam iam in duas partes discussum iri; ululavit, viribus summis luctans, et mirabile dictum, Quirrell amplexum laxavit. Dolor capitis remittebat—amens inclinatum, digitos insipientem—ante oculos pusolosi fiebant.

‘Arripe eum! ARRIPE EUM!’ iterum ululavit Voldemort et Quirrell prosiluit, Harrium totum praecipitans et insuper eum cruciate cicatrices Harrius paene occaecabatur, sed poterat videre Quirrellem prae dolore frementem.

‘Domine, non possum eum tenere—manus meas—manus meas!’

Et Quirrell, quamquam Harrium solo genibus infixerat, collum laxavit et palmas, obstupefactus, intuitus est—Harrius videre poterat eas ustas, crudas, rubras, lucidas videri.

‘itaque occide eum, stulte, et finis esto!’ clamavit Voldemort voce acuta.

Quirrell manum sustulit imprecationem diram facturum, sed Harrius, natura sua ductus, manu porrecta faciem Quirrellis arripuit—

‘AAAARGH!’

Quirrell volvendo se ab eo amovit, facie quoque pusulosa, et tum Harrius rem intellexit; sine dolore terribili Quirrellem cutem nudam suam tangere non posse—spem solam salutis positam esse in Quirrelle retinendo et tanto dolore ei infligendo ut imprecationem non facere posset.

Harrius saliens surrexit, et brachium Quirrellis arreptum quam artissime amplexus est. Quirrell ululavit et Harrium excutere conatus est—dolor capitis Harrio incresebat—non poterat videre—tantum ululatus horrendus Quirrellis audire poterat et Voldemortem clamantem ‘OCCIDE EUM! OCCIDE EUM!’ et voces alias, forsan in capite suo ortas, clamantes, ‘Harri! Harri!’

Sensit brachium Quirrellis ab amplexu suo abreptum, sciebat actum esse de se, in tenebras decidit, deorsum ... deorsum ... deorsum ...

Carpus, i (m.)...wrist

Cicatrix, icis (f.)...scar

Ululo, are...to howl, shriek, scream, shout

Luctor, atus...to wrestle, struggle

Amplexus, a, um...encircled, around

Laxo, are...to stretch out, around

Amens, mentis (adj.)...out of one’s senses, senseless, mad, frantic

Pusulosus, a, um...full of blisters, pimples, etc.

Prosilio, ire...to leap or spring forth

Occaeco, are...to make blind, to blind

Infligo, ere, ixi, ictum (3)...to strike

Forsan (adv.)...perhaps, perchance

Decido, ere, idi (3)...to fall off, fall down

Deorsum (adv.)...downwards